Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

euangelium iubet hominem occidi, sed prouocat culpam ad penitentiam, pro-
mittens uitam eternam. Penitentiam agite inquit. appropinquabit enim
regnum celorum. Aliter. Ante aduentum domini erant quedam opera legis que
a leuioribus peccatis mundabant suos obseruatores. Verbi gratia.
Sicut circumcisio que originale peccatum tollebat. quamuis aditum
patrie celestis non reseraret. et sicut erant multa alia per quibus offe-
rebantur holocausta et de quibus dicebatur. Siquis hoc uel illud fece-
rit. offerat arietem aut aliquid tale et mundabitur. Post domini autem ad-
uentum in quo conpleta sunt omnia illa figuratiua et umbratica. quicumque
uoluerit eandem legem carnaliter obseruare. morietur in anima. quia anima
que peccauerit. ipsa morietur. Vnde et ule apostolus in epistola ad ephesios
ait. Vere dico uobis quia si circumcidamini carnaliter, christus uobis ni-
chil proderit. Et scimus quia quibus christus non prodest mortui sunt in anima. Qui
uero spiritualiter eandem legem uult implere circumcidendo se spiritaliter
in baptismate. quod est uera expoliatio uiciorum obseruando sabbatum.
id est cessando a prauo opere et omnipotenti deo spirituales hostias offerendo.
se ipsum quoque mortificando cum uitiis et concupiscentiis ille uiuit.
et uiuet in eterna uita. Inde dicit apostolus. Littera occidit ~~in anima hominem~~ [in ueritate]
id est litteralis intelligentia legis. Spiritus autem uiuificat. id est spiritualis intel-
ligentia uitam eternam prestat. Quod si ministratio mortis. id est lex que
ministra erat mortis. sicut modo diximus deformata uel descripta lit-
teris in lapidibus fuit. subaudis in gloria moysi et in claritate uul-
tus ita ut non possent intendere in faciem eius filii israel propter claritatem uul-
tus eius. que gloria uel claritas euacuatur. quomodo non magis ministratio spiritus
id est doctrina et predicatio spiritualis euangelii erit in gloria. suis ministra-
toribus et obseruatoribus. Isto in loco uult ostendere. que dis-
tantia sit inter legem et euangelium. et moysen et doctores euangelii. sicut
iam superius diximus. Legimus in exodo quod moyse descendente de monte.
facies eius cornuta erat. ex consortio sermonis dei. id est radios quosdam
emittebat splendoris sicut sol. in tantum ut non possent intendere
filii israel in faciem eius. sed quando egrediebatur ad populum. ponebat ue-
lamen super faciem suam. Sed fortasse querit aliquis quare illi gloriam
et claritatem mortalis homines non poterant intendere. cui respon-
dendum est. quia moyses iustus et sanctus erat. ideoque coruscabat. suique
splendorem ipse ferre poterat. Illi autem quia peccatores et increduli erant